



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

359. An valida sint vota importantia electionem ut futuram. v. g. volo eligere: volo consentire.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

na determinata: item de iis, in quibus requiritur forma aliqua determinata cum decreto irritante. Item de Electionibus ceteris, tenent Abb. in c. Ecclesia. de sortileg. Garc. p. 5. c. 4. n. 205. Sigism. dub. 26. n. 8. Econtra negant Suar. loc. cit. n. 9. Sanch. n. 83. quibus accedit Pass. n. 11. eo quod prohibitiones contenta in aliis iuribus non habeant annexum decretum irritans. Dicunt tamen eas irritandas, quia facta contra jura eas prohibentia. Idem sentiunt hi AA. de electionibus mediatis factis per sortes, dum nimirum per fortes eliguntur compromissarii, eas non esse ipso jure irritas. Quod si verum, ait Pass. n. 12. se non videre discrimen, an non idem dicendum de electione mediata per sortes, dum sorte decernuntur 4. vel 7. ut dein ex iis eligatur unus; cum determinatio eligendorum accidat electioni per ferutinium, idque (adeoque & ipsa electio) tali determinatione per sortes praevia non obstante haberi potest secretò: Econtra autem nominatio compromissariorum sit pars essentialis electionis per compromissum. De cetero ubi tractatur non de electione personarum, sed de aliquo preparatorio ad illam, v. g. de eligendo loco electionis, & controversia aliter dirimi non posset, si forte dirimeretur, non ita vitari contractum, ut electio esset ipso jure irrita, licet esset irritanda, tenent Sanch. loc. cit. n. 73. Sigism. loc. cit. n. 2. Pass. n. 8.

Questio 355. An electiones ad Praelaturas Ecclesiasticas fieri possint per calculos, fabas, similesve modos, dum nimirum à Superiore Electoribus consentientibus, proponuntur plures, quatuor v. g. vel quinque, ut ex iis eligatur unus, electusque censatur, qui à majore numero electorum loco schedularum dando calculos coram Scrutatoribus fuerit approbatus?

Respondeo: negare id Sigism. loc. cit. n. 6. Miran. to. 2. q. 23. n. 19. Cuchium de elect. l. 4. n. 222. Samuel. tr. 1. d. 4. contr. 7. n. 1. & alios apud Pass. n. 13. ubi eorum rationes refutat. Econtra hunc modum eligendi per calculos non esse reprobatum vi c. quia propter. imò esse valde conformem Trident. docet Suar. to. 4. de relig. t. 8. l. 2. c. 5. n. 23. Cum tamen consuetudo & praxis obtineat, ut tales electiones fiant vel viva voce, vel per schedas, majorque sit libertas Electorum, si iis nullus determinetur, quem eligant, sic fieri debere juxta cuiusque collegii leges & usum, dicit Pass. loc. cit.

Questio 356. Quà igitur verborum formâ, sive scripto, sive viva voce id fiat, exprimere debeant in electione votum suum Electores?

Respondeo: id perinde esse, modò consensus eligentis exprimat, neque verborum imperfectio vitiat, si sensus & consensus loquentis colligi possit. Lavor. c. 19. n. 63. magis usitatae sunt hæ formæ, & bonæ. *Eligo talem, consensio in talem: nomino talem.* Abb. in c. quia propter. Lavor. loc. cit. n. 80. Sigism. dub. 27. num. 1. neque de substantia est, ut simul exprimat dignitas, ad quam quis eligitur; hoc enim subintelligitur. Lambert. h. 2. q. 3. a. 3. & ex eo. Lavor. loc. cit.

Questio 357. Num valeant vota alternativa, seu expressa disjunctiva, ut si quis dicat: eligo Petrum vel Paulum?

Respondeo negativè. Barb. ad c. 2. de elect. in 6. n. 3. Sigism. loc. cit. n. 4. Boër. decis. 1. n. 2. Pass. n. 17. citans plures alios. Idem dicendum, dum votum datur incertum, ut dum quis dicit: *eligo quem Titius, vel major pars elegerit:* Surd. decis. 53. num. 28. Paris. l. 3. cons. 38. n. 40. Utriusque responsi eadem est ratio; quia electio seu votum est voluntaria, & determinata acceptio, quâ eligens ipse suâ voluntate accipit unum præ alio. Pass. n. 17.

Questio 358. Num valeat votum conditionate datum & expressum?

1. **R**espondeo primò: ubi conditio inest actui, vel ex natura, vel ex jure; dum scilicet actus sine ea vel nullus, vel illicitus est, v. g. *eligo, si praelatura vacat; si electus habeat requisitam à jure aetatem;* vota importantia talem conditionem de præterito vel præsentem sunt valida; cum enim tales conditiones determinate fuerint vel sint, votum determinate verum est, & non suspenditur actus, sed si conditio adest, valet; si abest, non valet. Lamb. de jurep. l. 2. q. 3. a. 9. n. 2. Lavor. loc. cit. n. 64. Sigism. loc. cit. n. 8. Pass. loc. cit. n. 20. De votis quoque conditionatis quâcumque conditione, etsi ea de jure non inest actui (ut si dicatur: *eligo Titium, si novit Geometriam*) de præterito vel præsentem, quod valida sint, si aliud non obstat, tenet Pass. n. 21. citans Corasium contra Garc. p. 2. c. 2. n. 9. Sigism. dub. 27. n. 7. Bassæum v. electio. n. 3. eò quod, quia conditiones tales de facto determinatam veritatem habeant, vota similia æquivalent absolutis, & proprie conditionalia non sunt. Quòd si tamen ante confirmationem non possit sciri, quæ pars contradictionis fuerit vera, seu num adsit vel absit conditio, tale votum habendum erit pro inutili. Pass. loc. cit.

2. Respondeo secundò: vota importantia conditionem contingentem de futuro, v. g. dum dicitur: *eligo Titium, si juramentum solitum præstiterit;* si beneficium prius dimiserit, adeoque impendentem, quò minus consensus sit de præsentem determinatus & certus, ut exigitur (consensus enim datus, non nisi dependenter à futuro contingente tempore electionis æquum est, sed fortè erit, & potest non esse) sunt nulla & invalida. Pass. n. 22. contra Garc. n. 10. & tale votum conditionatum & nullum esse illud: *Eligo Titium, si Papa placuerit,* tenent Ripa. l. 2. respons. c. 32. Sigism. n. 12. Pass. loc. cit.

3. Respondeo tertio: Vota importantia conditionem de futuro necessario, vel de facto impossibili, vel de absurdo, non sunt ex hoc irrita; non enim suspendunt tales conditiones actum, & habent se ac si apposita non essent. Pass. loc. cit.

Questio 359. Num valida sint vota importantia electionem ut futuram, v. g. dum dicitur: volo eligere: vel volo consentire?

Respondeo negativè, voluntas enim faciendi quid, non importat perfectionem actus, ut exigitur ad electionem; & voluntas talis eligendi relinquit electionem probabilis esse, & non esse. Sigism. loc. cit. n. 13. Pass. n. 23.